



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

59. Narses Clericus in bacchanalibus laruatus incedens peccauit mortaliter: eum tamen ex ignorantia percutiens non incurrit censuram.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

pretium aut vulgare non habent, illud censeatur iustum, quod communiter iustum aestimatur; ex hac quippe communi aestimatione, quæ est quædam quasi lex, constitutio pretij pendet, non autem ex voluntate cuiusque, aut ex singulari alterius affectu; valdè siquidem alienum à ratione est, rei valorem ex proprio tantùm iudicio, & ex nimio emptoris affectu, animique leuitate pensare, vt resoluitur in l. *pretia rerum ff. ad l. Falcidiam.*

*Ad 1. in contrarium negantis consequentiã* ob rationem recens indicatam. *Ad 2.* Esto illæ res non sint necessariae: nec teneatur illas vendere Maxentius; si tamen vendere velit, pretium illarum à communi prudentum iudicio statuere debet. Adagium illud *res tantum valet, &c.* intelligendum intra latitudinem iusti pretij, & seclusâ fraude. *Ad 3.* dicimus, nullam esse causam huius præsumptionis, cum excessum non concederet, si iusto pretio rem obtinere posset. *Ad 4.* Aestimationem illam esse iustam, cum non ex iudicio vnus, sed ex communi fiat, quæ licet irrationabilis sit, sufficit tamen ad pretium iustum constituendum, vt rectè aduertit Couarr. 2. *variata, c. 3. n. 4.*

LIX. *Narses Clericus Beneficiatus in nuptiis Bacchanalibus laruatus per Ciuitatem incesit, alijsque personatis Laicis se iungens post varios iotos exercitos, tandem cum vno eorum rixas excitauit,*

tauit, & insigniter ab eo, licet ignotus, vapulauit, ac tandem post abreptam laruam est agnitus, non tamen amplius percussus. Queritur 1. Vtrum Narfes laruatus incedendo per ciuitatem peccarit mortaliter? 2. Vtrum percutiens Narsetem excommunicationem incurrerit?

Videtur. Non peccasse mortaliter. Tum quia nullibi in iure Canonico laruæ Clericis tam grauitè interdicuntur. Tum quia Narfes nullum dedit scandalum sæcularibus, cum à paucis tandem fuerit cognitus, & aliàs modestiam & decorem seruauerit,

Resp. 1. Narsetem peccasse mortaliter laruatum per ciuitatem in Bacchanalibus incedendo. Ita Hieronym. Garcia in Sum. Theolog. Moral. Tr. 1. Diffic. 2. dub. 2. num. 5. Barbosa in collectanea iuris Eccles. L. 1. c. 40. n. 64. & alij apud hos relati. Prob. Tum. ex Cap. cum ad decorem 12. & c. Clerici officia 15. de vita & honestate Clericorum, vbi talis incessus Clericorum vocatur turpitude & Corruptela, præcipiturque vt extirpetur, ne per eam Ecclesiæ inquinetur honestas. Tum quia hoc ipso quod Clericus incedat personatus, incedit immodestè & absque decore, quem incessum Ecclesia innumeris ferè monitis & decretis cauere voluit, vt testatur Pax Iordan. L. 10. suarum Elucubrationum Tit. 37. n. 2. Ergo cum tantisemper fecerit Ecclesia externā Clericorum compositionem, Narfes mortaliter peccauerit.

peccauerit, necesse est, cum grauiter contra eam deliquerit.

Resp. 2. Eum, qui percussit Narsetem ignorans, esse Clericum, non incurrisse vllam Censuram. Ita Barbosa in *Collectanea juris Pontificij ad Cap. Si quis suadente. n. 50.* Vbi ex communi DD. docet, Canonis Censuram non incurri ab eo, qui percussit Clericum probabiliter ignorans esse Clericum; quomodo autem in proposito percutiens sub tam turpi larua & vestitu latere Clericum conijcere potuit?

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium. Esto enim scandalum non fuerit secutum, ipsa tamen actio ex se ita turpis est, vt vehementer dedeceat Clericum, & scandalum facile parere possit, quæ enim modestia & decor in Clerico personato cogitari amplius potest?

LX. *Nellus Sacerdos confessionem excipit Othonis, & sciens postea, se bonâ fide confessum invalide absoluisse, licet grauia attulerit peccata, vehementer angitur, qui errorem suum emendet. Queritur. Quid faciat?*

Videtur Nellus teneri monere Othonem de errore suo, nisi fortè Otho rursus confiteatur, & adhortando induci facile possit ad dolorem omnium peccatorum præteritorum; aut nisi Nello graue ex hac admonitione malum resultet. Ita Suarez, Vasquez, Coninck,